

fesso laboribus, ut collegia sua nunquam ob vlla alia negotia distulerit, MICH. SIRICIO, Theologo postea Mecklenburgico et in ephoria ecclesiastica nostri antecessore et Io. NIC. MISLERO. Arctiorem hic amicitiam contraxerat cum Io. BALTH. HABERKORNIO, PETRI filio, quem deinde, cum in has ipsas terras delatus esset, ut supremum Serenissimi quondam GVSTAVI ADOLPHI Mecklenburgici Theologum coluit et in officio ecclesiastico collegam coniunctissimum, quoad viveret, complexus est. Antequam vero hic iussu serenissimi haecenus Nutritii sui pro summo in theologia gradu sub praesidio MISLERIANO, quod factum est sequenti anno c1o 1oc LXVI. disputaret, ac Licentiatus publice renunciaretur, vocatus iam ab eodem fuerat ad pastorem Ecclesiae in patria Langendenzlingensis, addito honorabili Praesidis Synodali conuentuum in Hochbergico Marchionatu officio, ad quod vtrumque munus a clarissimo parente suo, in ea regionis parte praesule, cuius et Adiunctus erat, eodem adhuc anno impositis manibus rite ordinatus et introductus est. Sed elapso vix biennio a Serenissimo, cuius saepius mentionem iniecimus Principe suo, FRIDERICO VI. Marchione Badensi et Hochbergensi, inuictissimi-que quondam Caesaris LEOPOLDI I. et Sacri Romani Imperii ordinum Archistratego et Campi Mareschallo Generalissimo ad Diaconatum primo aulicum accersitus, Durlacum, Principalem sedem, concessit, inque illustri Gymnasio simul ebraeam linguam et Metaphysicam professus est, quantumuis eodem statim anno Consilarii Ecclesiastici et Consistorialis dignitas adiiceretur. Sequenti anno

c1o 1oc CLXIX.